

tu solus mihi dominus, sinque ego tibi ser-
vus; ut hic fideliter tibi serviendo tuus esse,
tecumque regnare merear in cælo &c.

CONSIDERATIO V.

De Misericordia DEI.

Hanc ostendit 1. Christi passio. 2. pec-
cati remissio. 3. peccatoris ingrati-
tudo.

P. I. *Hanc ostendit Christi passio.* Si creditor
post plurima debita, mala fide a te
contracta, quibus extinguendis facultates
tuæ omnes non sufficerent, fundum tibi of-
ferret, & quidem ex suis propriis, e quo de-
bita omnia diluere nullonegocio posses, quam
benignum & misericordem ejusmodi homi-
nem non diceres, propria utilitate postha-
bita, soli necessitati tuæ tam liberaliter con-
sulentem? At quantum divina misericordia
illam istius creditoris excedit? Non solum
ipse tibi omnibusque peccatoribus fundum
obtulit, & quotidie offert, eumque locupletis-
simum & superabundantem, merita scilicet
infinita filii sui; ex quo nomina omnia apud
divinam justitiam contracta, quantumvis
enormia ac multiplicia, ad ultimum usque

extinguere possis: sed & debita tua in semet-
 ipsum suscepit, ex propriis ea diluit, imo suo-
 met cruore extinxit. Plusne ipse facere, plusne
 tu a divina misericordia expectare, imo spe-
 rare potuisses? Quanta enim temeritas, quan-
 ta impudentia non fuisset vel solum rogare
 Deum, ut pro tuis delictis abolendis filium
 suum unigenitum, sibi que per omnia æqua-
 lem; atque ideo super omnia dilectum, ceu
 victimam cruentam immolaret? Ut proinde
 supremus apex misericordiæ esse necessario
 debeat sacrificium illud, quod mortalium
 nemo expectare, minus petere ausus unquam
 fuisset. Si dignus non es teste Jobo. c. 14. Su-
 per quem Deus aperiat oculos, quanta mise-
 ratio, quod Christus Dei filius pro te omnes
 aperiat corporis sui venas, omnemque ex iis
 sanguinem pro te effundat? Si testes quoque
 tibi videantur veræ, sinceræque commiserati-
 onis, lacrymæ tuæ, quas non nunquam pro-
 fundis ex conspectu amici cum miseris & do-
 loribus confluantis, amabo, quid sentire te
 oportet, dum non lacrymas vides, sed tor-
 rentes sanguinis, gravissimos inter crucis ac
 mortis dolores, unice pro te, tuaque salute
 profusissima liberalitate profundi, & qui-
 dem non a puro homine ejusdem tecum con-

ditionis, sed ab homine Deo infinitæ omnino
 excellentiæ ac dignitatis? Et sane quid iustius
 a te exigere potuisset Dei filius e cruce pen-
 dens, quam ut in partem saltem venires suæ
 amarissimæ passionis? Sed ecce novum mise-
 ricordia divinæ argumentum! quod pœnam
 quam pro peccatis tuis commertus fueras,
 ipse solus in se suscipiat, etsi scelerum tuorum
 non solum non particeps, sed ab omni etiam
 umbra peccati remotissimus, imo ipsa in-
 nocentia & increata sanctitas; quin vel in con-
 fortium dolorum ac malorum suorum te ad-
 mittat, se ipsum amore tui ad gravissima sup-
 plicia condemnans, te contra etsi perfidum,
 ingratum ac rebellem ceu innocentem absol-
 vens. O quantus excessus bonitatis ac mise-
 ricordia! Quæ miseratio vel in matre erga
 filium tenerior esse possit? Rachel non alie-
 nos sed proprios plorabat filios: Christus non
 propria sed aliena, imo tua plorat peccata; nec
 lacrymis contentus, vitam, sanguinem, ho-
 norem, & quidquid ei charum esse poterat in
 vita, pro servo non solum inutili, sed multis
 sceleribus infami sacrificat, ut huic vitam re-
 stituat, sibi ipsi vitam adimens, Ah Pater
 æterne! an injuste meum actum fuisset, si par-
 tens filio, metot scelerum reum, ad pœnam

vocasses? Quid mihi juris in sanguinem & vitam innocentis, ut meæ redemptioni impenderentur? Ergone ut infamem servum redimas, Dominum gloriæ crucifigis? ut reum absolvas, condemnas innocentem? Ut mancipium liberes, filium & hæredem occidis? Quæ hæc misericordia, quæ sævit in justum, & parcit impio? Verum O Pater misericordiarum & Deus totius consolationis! Quo devenissem miser, nisi remedium sanguinis filii tui mihi præparasses? Nisi vitam meam prætulisses vitæ ipsius, nonne mortem æternam incurrissem? Quid igitur retribuam tantæ misericordiæ tuæ? &c.

P. 2. *Peccati remissio.* Si alienum solummodo Adæ peccatum, quæque inde consecuta sunt mala, tibi portanda fuissent, ut proin miserum statum tuum soli deberes vitiatæ origini; forsitan aliqua Dei commiseratione dignus videri potuisses; at quod peccato originis nova indies ac nova addideris peccata, propria malitia contracta; scelera in immensum auxeris, in Deum constanter injuriosus, protervus, ac contumax, sprete ejus autoritate, potentia, justitia, toties leges ejus sanctissimas violaveris, jugum Domini, ubi ubi potuisti, temere excutens, tuisque

passionibus ac pravis inclinationibus, quod lubet, indulgens; qua fronte ejus gratiam ac misericordiam expectare poteris? Quæ enim mansuetudo tanta, quam non frangat tandem impatientia, inque justam concitet vindictam? Cogita Deum, cogita hominem: quam dispar utriusque conditio? Tunc quem e nihilo & sordibus extraxit, Deo tantæ Majestatis, ipsis Cherubinis tremendo & adorando, insultare, eumque impune laceffere, tu judicem ac dominum tuum supremum irritare, inque tui odium stimulare ac accendere attentaris? Ah! qua ratione hæc serio meditaris, misericordiam sperare potuisses, nisi hæc limites omnes, finesque infinite excederet. Gloriæ sibi ducere solent Reges, ac Principes, si hostes suos sibi subjugent, deprimant rebelles, plectant perfidos, reosque læsæ Majestatis extremis suppliciis afficiant. Quin adeo ita ferè animo comparati sunt homines, ut extinctos velint eos, qui in legitimos dominos suos insurgunt; ut vel ideo non solum Joabus, sed & totus exercitus indignatus fuerit Davidi, quod perfidi ac rebellis Absalom? mortem tantopere deploraret: At non ita tu Deus meus! superat tua bonitas infinite nostram malitiam; nihilque gloriosius tibi ducis,

eis, quam hostes tibi devincire, in his que
 ostendere divitias bonitatis tuæ. Hinc non
 solum peccatoris ejusque cæcitatibus ac demen-
 tiæ miseratione tangeris, eumque toleras;
 sed & a rugientibus præparatis ad escam de-
 fendis ac protegis: Occurris illi ubique, ex-
 tendendo veluti manum tuam, & offerendo
 auxilium tuum, quo e profundo scelerum fa-
 cilius emergat; urges illum propositis suppli-
 ciis, ni relipiscat; præmiis, si obsequatur;
 addis blanditias, ut cor sensim & leniter
 emollias: *Tu inquis, fornicata es cum amato-
 ribus multis, tamen revertere ad me Et ego
 suscipiam te, saltem amodo voca me pater
 tuus.* Jerem. 3. addis preces quasi rogans, &
 supplicans, ut sui tandem memor, saluti con-
 sulat: *Miserere animam tuam.* Eccl. 3. Offers illi
 deprecatorum Christum Jesum, simul san-
 ctissima ostendens Sacramenta, ceu canales
 gratiarum tuarum, quorum beneficio omni-
 bus malis suis facillime mederi, tibi que re-
 conciliari possit: obtestaris ipsum, ut saltem
 unicam lacrymulam, aut minimum etiam
 cordis suspirium ad te dirigat, hoc solo te con-
 tentum fore asseverans, omnes oblitteratu-
 rum injurias, eumque in gratiam recepturum.
 Et cum hæc omnia præmiseris ad expugnan-

dam duritiem cordis ejus, instarque medici optimi, nil nisi sanitatem sui ægroti desiderantis, varia adhibueris medicamenta gustui, & naturæ infirmi accommodatissima, & melle dulcedinis tuæ illita, ad procurandam illi sanitatem; non contentus tanta bonitate, & quasi offensus non esses diuturna illius repugnantia, & impudenti repulsa, vix filium hunc prodigum & quidem adhuc eminens observas, scelerum suorum pertæsum, post dilapidatam jam omnem substantiam suam ad te reverti; vix lacrymulam in oculis ejus notas, aut doloris affectum in corde; cum ecce jam in occursum ejus properas; extendis brachia in amplexum; præbes illi osculum in signum amoris; & ceu nunquam te offendisset, omnis immemor injuriæ, in pristinam gratiam eum recipis, omnesque illi reddis amicorum ac filiorum tuorum prærogativas. O bonitas! O misericordia! quis Angelorum vel hominum te comprehendat? Et quoties interim hanc ipsam misericordiam exhibuisti mihi, condonando mihi peccata, meque in gratiam tuam plus quam paterne recipiendo? Si Cherubini ac Seraphini infinite tibi obstricti sunt, quod eos in prima gratia conservaveris; animus obligatus tibi sum, quod gratiam propria

pria culpa
lumen
tibi debeo
cum be
solum
pere? A
tanta mi
que bon
peccata
P. 3.
auger
amplius
postquam
quam no
leptis o
namque
neribus
immem
mus ad
brum lu
sua a no
magis m
Iusque
quentius
& pharm
nostra ac
ventia su

pria culpa ac malitia amissam, benevolentissime mihi restitueris? Imo nonne plus adhuc tibi debeo, quod multo facilius sit, erga amicum benevolentiam conservare, quam insensissimum hostem in priorem amicitiam recipere? Ah! ne permitte quæso Domine, ut tanta misericordia tua ingratus abutar, tuæque bonitati nimium confidens, in priora peccata relabar! &c.

P. 3. *Peccatoris ingratitude.* Quod magis auget & exaltat elementiam Dei, eamque amplius reddit stupendam, illud est; quod postquam tantis gratiis prævenit nos, postquam non septies, sed plus quam septuagies septies condonavit delicta nostra, medicinamque preciosissimam sanguinis filii sui, vulneribus nostris sanandis, adhibuit; nos autem immemores omnium, ut canes semper redeamus ad vomitum, & veluti sues ad volutabrum luti; ipse tamen oculos misericordiæ suæ a nobis non avertat: quin potius, quo magis morbus animæ nostræ invalescit, salusque nostra gravius periclitatur, eo frequentius solertis ad instar medici nos visitet, & pharmaca efficaciora sanandæ infirmitati nostræ adhibeat. Videt equidem nos abuti patientia sua, ad augendam rebellionem & in-

solentiam nostram; videt beneficia, quæ nobis impertit, misericordiamque quam erga nos exercet; a nobis converti in sui injuriam & contemptum; nosque ex bonis datis, quibus meliores reddetemur, occasionem sumere accumulandi mala nostra, & aggravandi pondus peccati: & nihilominus tantum abest, ut beneficam manum suam a nobis subtrahat; ut potius gratias augeat, suaque in nos multiplicet beneficia, quibus animos sibi nostros devinciat, eoque crebrius suis nostris instinctibus ac salutaribus inspirationibus visitet; ut in interitum plenis passibus ruentes, in viam rectam reducat. O quanta misericordia, sic perpetuo certans cum nostra malitia & ingratitude; quin aut illa defatigetur; cessetque indulgere veniam, aut hæc clamare vindictam? Quis sponsus sponsæ suæ fidelis maneat, si ipsa vel semel fidem datam fregerit, alteri proco illicitis amoribus adhærens? at quoties fidem tuam Deo in Sacramento pœnitentiæ solemniissime obligasti; quoties reconciliatus ac denuo desponsatus Deo, cum adulteris portionem tuam posuisti; quasi pœnituisse te cum Deo rediisse in gratiam, ejusque preciosissimam amicitiam recuperasse; tibi vero in propria infelicitate placeres?

Nunc

Num possibile Deus meus, ut tam enormem
 & palparem ingratitude[m], quam nemo
 alius te infinite inferior, ferre posset, tu tan-
 ta cum æquanimitate, tanta patientia, tanto
 tempore inultus sustineas? Quam diu (etsi
 sæcula integra impendenda forent) non la-
 borandum esset, ut vel particulam inæstima-
 bilis amicitia[e] tuæ acquirere liceret, pro qua
 recuperanda damnatorum quilibet toleraret,
 quidquid tolerare potest natura humana;
 quodque amplius est, ipse Dei filius pretium
 infinitum persolvit? Et nos miseri thesaurum
 hunc incomparabilem tam flocci facimus,
 ut eum non semel, sed centies & milies pro
 nihilo dilapidemus? O prodigium humanæ
 miseriae, cæcitat[is], & ingratitude[m]! sed quod
 magis mirandum, prodigium infinitæ mise-
 ricordia[e] Divinae, semper paratæ ad injuriam,
 & ingratitude[m] tantam contrito cordi re-
 mittendam? Si quis vidisset filium prodigum,
 postquam tanta indulgentia, suavitate, ac
 bonitate ab amantissimo Patre receptus fue-
 rat, omnibusque ab eo filiorum prærogativis
 exornatus; contempto patre, omnibusque
 ejusdem favoribus, in antiquam silvam re-
 dire, & priori se tradere licentiæ; quis in-
 quam ejus commiseratione tangi potuisset?

quis non pronunciaſſet indignum, qui poſt-
 hac ad conſpectum, ne dicam gratiam patris
 unquam admitteretur; job enormem ſcilicet in-
 gratitudinem, poſt tam ſpeciales & exquisitos
 favores a benigniſſimo Patre eidem exhibi-
 tos? Verum o Deus meus! quod filius ille
 prodigus facere nunquam auſus fuit, nonne
 a me factum, quoties tibi per Sacramentum
 pœnitentiæ conciliatus, in priora peccata re-
 lapſus ſum? & tamen (quod incredibile vi-
 deri poſſit) identidem redeuntem benigno
 favore recipis, nec ab ara miſericordiæ tuæ
 repellis: quandonam enim ad fores miſericor-
 diæ tuæ pulſavi, quin aperueris mihi? Quan-
 donam corde contrito bonitatem tuam im-
 ploravi, quin eam licet immeritus, invene-
 rim? Et tu quam prompte eam exhibuiſti
 mihi; ego vero quam tarde illam quæſivi;
 nec ante, quam placuiſſet mihi, & poſtquam
 dudum vocaſſes & invitaeſſes me? Tu quam
 alacriter, ego contra quanta cum repugnan-
 tia & tergiverſatione; nec niſi invitus deſe-
 rens, quod ſtulte amaverim? Tu quam libe-
 raliter & conſtanter, cum ego tam cito in bo-
 no deſecerim? Ah mi Deus, ſi tam parca,
 tamque inconstans in me fuiſſet miſericordia
 tua, quam meæ erga te fidelitas, quid actum
 fuiſſet

fuiſſet de me? Non reſpondebo ergo melius
deinceps tantæ bonitati tuæ; &c.

CONSIDERATIO VI.

De Longanimitate DEI.

Hæc elucet ex eo 1. Quod licet of-
ſenſus, tam diu toleret injuriam.
2. Differat pœnam. 3. Continuet
benevolentiam.

*P. I. ELucet ex eo, quod offenſus toleret in-
jurians. Si attonitos nos tenent Dei
omnipotentia, miſericordia, bonitas, cete-
ræque in eo perfectiones, quid de ejus Lon-
ganimitate judicabimus, quæ, (niſi omnes
& ſingulæ infinitæ eſſent) ceteras videri poſ-
ſet excedere? Ut enim omnipotentia creatu-
ras e nihilo extrahat, nullo labore, nulla ſui
victoria, ſolo opus eſt Divinæ voluntatis an-
nuntio: *Dixit & facta ſunt, mandavit & crea-
ta ſunt.* Pl. 148. Ut miſericordiam ſuam no-
bis exhibeat, ipſa miſeria noſtra, ipſæ lacry-
mæ ac pœnitentia cordis contriti quodam-
modo ſufficiunt; cum facile emolliatur cor
patris, dum filium ſupplicem ad pedes ſuos
provolatum cernit. Ut bonitatem ſuam*